



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 1. Ad quam paupertatem Ethnici peruenerint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

ergo his faciendum? an amandæ diuitiæ, derestanda paupertas? nequaquam; cum tanta sint huius bona, vt etiam Ethnicorum plurimi eam ambierint. De quibus aliquid dicere, operæ pretium est.

C A P V T XVI.

Fuisse etiam, apud Ethnicos, amatores & laudatores paupertatis.

§. I.

Ad quam paupertatem Ethnici peruenierint?

Ethnici, quamquam ad perfectam Euangelij paupertatem, quæ inducit bonorum communionem, atque vnus Dei vitæque æternæ amore suscipitur, assurgere non potuerunt; ductu tamen naturæ adeò multa viderunt, vt pacis, boni publici & privati, ac Philosophandi, nonnulli etiam laudis causa, diuitias contemnerent, & sponte etiam pauperes esse mallent. Atque inter hos non Philosophi dumtaxat, sed etiam Principes fuerunt; illi enim vt sapientiæ, isti vt Reipublicæ gubernaculis tantò liberiore animo vacare possent, curas sollicitudinesque pecuniarum à se abdicarunt.

Senec. ep. 17. runt. *Si vis vacare animo, ait Seneca, aut pauper sis, oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri, sine frugalitatis cura.*

S. Chrys. lib. 2. contr. vituperat. vite monasticæ. Quam ob rem non dubitavit D. Chryso-
stomus pauperes cum opulentis regibus comparare, Diogenem cum Alexandro, Platonem cum Dionysio, Socratem cum Archelao; docuitque, illos sua paupertate, gloriosiores fuisse, quàm hos cum regnorum suorum maiestate. Laudat quoque Epaminondam Thebanum principem, qui in concionem vocatus, cum venire non potuisset, quia vestem lauerat, nec aliam habebat, omnibus, qui eò venerant, illustribus viris spectatior illustriorque fuit.

§. II.

Maximi virtute, apud Romanos, opibus minimi.

Hanc tenuitatem vsque ad mortem seruata, etiam in Romanis principibus egregie laudant scriptores. *Regio imperio, propter nimiam Tarquinij superbiam, finito, consulatus initium Valerius Poplicola cum Iunio Bruto auspiciatus est. Idemque, postea tres consulatus acceptissimos Populo Romæ: gessit: & plurimam ac maximorum operum prætextu titulum imaginum suarum amplificauit: cum interim factus*